

H_1 v.1 Vos o, quae liquidos fontes, quae flumina, nymphae
 2 Naiades, colitis, quae florida culta, Napaeae,
 3 Deliolosque hortos et litora cognita Mysis,
 4 quae colles Baccho laetos flaventiaque arva
 5 messibus ac summi curatis rura Vesevi,
 6 quo solem vitetis iniqui et sideris aestum,
 7 hac mecum placida fessae requiescite in umbra
 8 gratorum nemorum, Dryades dum munera vati
 9 annua, dum magno texunt nova sarta Maroni
 10 e molli viola, e ferrugineis hyacinthis,
 11 quasque foveant teneras Sebethi flumina myrtos :
 12 vos gelidi fontes genitalis et aura Favonii
 13 invitant, vos caeruleo quae litore pictae
 14 Nereides varias ducunt ad plectra choreas
 15 et nudae pedibus fusaeque ad colla capillis.
 16 En ipso de fonte et arundine cinctus et alno
 17 frondenti caput, ac vitreo Sebethus ab antro
 18 rorantis latices muscoque virentia tecta
 19 ostentans, placidas de vertice suscitatur auras,
 20 quis solem fugat et salices defendit ab aestu.
 21 Ergo agite, et virides mecum secedite in umbras,
 22 Naiades, simul et sociae properate, Napaeae,
 23 quaeque latus Tyrio munitis, Oreades, arcu.
 24 Non hic Pierii cantus, non carmina desint,
 25 adventante dea. Summis en collibus offert
 26 Uranie se laeta : agite, assurgamus eunti,
 27 et dominam comitemur, opaca et rupe sedentem
 28 et rore Idalio et Syrio veneremur odore
 29 insignem cithara et stellanti ad tempora serto.
 30 O facilis felixque veni, dea. Me per apertos
 31 aeris immensi campos summoque vagantem
 32 aethere, mox toto numerantem sidera caelo
 33 duxisti, legesque deum atque arcana docenti,
 34 illarum et relegis series et fata recludis,
 35 atque ipso rerum causas deducis Olympo.
 36 Ocia nunc hortique juvent, genialiaque arva,
 37 quaeque et Amalpheae fecundant litora silvae,
 38 citrigenum decus, Hesperidum monumenta sororum,
 39 deliciae quoque et ipsa tuae. Peneia Phoebum
 40 delectent Tempe fraternaue pectora lauri ;
 41 te Sebethiacae capiant nemora incluta citri,
 42 et quas nostra suo colit Antiniana recessu.
 43 Nos canimus : tu, diva, fave, atque assiste canenti,
 44 dum vatis veteres sacri renovantur honores ;
 45 en manet irriguum te blanda Patulcis ad amnem.

46 At tu, quo Gonsaga domus, quo Mantua gaudet
 47 principe, dum canimus, post arma gravisque labores,
 48 Itala dum spargis Tamarusiaque arva cruore
 49 Gallorum et victor spolia illa feretria tentas,
 50 Francisce, heroum genus atque Bianore ductum,
 51 ne desis, neve hortensem contemne laborem,
 52 Herculeae decus et pretium memorabile clavae.
 53 Orbe etenim Hesperio Niasique ad litora quondam
 54 Oceani auriferis primum sese extulit hortis
 55 citrius, arboreae referens praeconia palmae.
 56 Illi perpetuus frondis decor, inter opacum
 57 albescunt nitidi flores nemus, atque ita late
 58 spirat odoratus Zephyris felicibus aer ;
 59 ipsa quidem lauro foliisque et cortice et ipso
 60 stipite tum similis, tum frondescente juventa,
 61 at cono inferior ramisque valentibus impar,
 62 nam florum longe candore et odoribus anteit.
 63 Quin gravida e ramis, triplici distincta colore,
 64 mala nitent virides primum referentia frondes ;
 65 hinc rutilant fulvoque micant matura metallo,
 66 flore novo semper, semper quoque fetibus aucta,
 67 perpetuum Veneris monumentum at triste dolorum.
 68 Maerebat puero extincto, lugebat amantem
 69 scissa comam, et lacrimis humebat terra profusis,
 70 humebant lauri, quarum frondente sub umbra
 71 et positum ante pedes lamentabatur Adonim
 72 et, se oblita deam, tundeat pectora palmis.
 73 Ut vero sese dolor et gravis ira repressit,
 74 ac veterum admonuit Daphne Peneia amorum :
 75 "Et nostros, inquit, testabitur arbor amores
 76 nostrorum et maneant monumenta aeterna dolorum."
 77 Ambrosio mox rore comam diffundit et unda
 78 Idalia corpus lavit incompertaque verba
 79 murmurat ore super supremaque et oscula jungit.
 80 ambrosium sensit rorem coma, sensit et undam
 81 Idaliam corpus divinaque verba loquentis ;
 82 haeserunt terrae crines rigitque capillus
 83 protenta in radice et recto in stipite corpus,
 84 lanugo in teneras abiit mollissima frondes,
 85 in florem candor, in ramos brachia et ille,
 86 ille decor tota diffusus in arbore risit ;
 87 vulnificos spinae referunt in cortice dentes,
 88 crescit et in patulas aphrodisia citrius umbras.
 89 Colligit hinc sparsos crines dea, mandat et altae
 90 telluri infodiens, tum sic affata : "Meis heu
 91 consita de lacrimis, nunquam viduabere fronde,
 92 semper flore novo semperque ornabere pomis
 93 hortorum decus et nemorum illecebraeque domorum ;"
 94 osculaque illacrimans ligno dedit, eque capillis
 95 summa sub tellure agitans fibramina ducit,
 96 hauriat ut sitiens undam atque alimenta ministret.
 97 Illa velut dominae luctum solata recentes
 98 excussit frondes, resupinaque vertice canos
 99 diffudit florum nimbos, quis pectora divae
 100 implevitque sinum et lacrimas sedavit euntes ;
 101 exin Hesperiiis arbor nitet aurea silvis.

102 At postquam Herculeis humeris stetit axis et Atlas
 103 prospexit caelo et fessus requievit in antro
 104 et jam fata deum latii et scelera impia monstri
 105 ultricem expectant clavam, procul orbe subacto,
 106 Geryone extincto, spoliis insignis abactamque
 107 advexit praedam et nostris stetit ultor in arvis,
 108 idem humeris, idem ipsa arcu clavaque superbus,
 109 devexit simul Hesperio de litore silvas,
 110 Hesperidum silvas, nemora effulgentia et auro.
 111 Quis post Phormiadum saltus, fragrantia myrto
 112 litora Caietae fontesque ornavit et hortos
 113 Virginis Hormialae. Venientem ea Thybride ab udo
 114 accipit hospitio et thalami simul addit honores ;
 115 hinc et ob aetatis florem placidosque hymenaeos
 116 auriferae pretium tulit arboris, inde recenti
 117 implevit campos nemore et Zephyritide silva,
 118 qua Laestrygonios saltus, saxa horrida, Nereus
 119 lambit et aequeoreae Liris secat arva Suessae,
 120 quaque et oliviferis de collibus edita prisco
 121 nymppha Lamo irriguos Fundania prospicit agros
 122 distinctosque hortos pomis et litora myrtis ;
 123 quin et rura sororis Amalphidos et Sirenum
 124 ditavit scopulos Niasaei munere mali.
 125 Nunc, age, qui cultus citriis, quae certa serendi
 126 tempora, quaeque illis regio magis apta ferendis
 127 expediam, nullique loquar memorata priorum.
 128 Principio apricum ad solem ventosque tepentes
 129 vergat ager ; putres glebae, quaeque aequora rastris
 130 molle sonent fluidum facile admissura liquorem.
 131 Nec mihi displiceat salebrosi glarea ruris,
 132 quaeque solo tenui graciles imitatur arenas,
 133 si modo saepe fimo spargas, si pronior unda
 134 diluat ipsa super laetusque instillet et himber.
 135 Quid non expugnet sollers industria ? Non me
 136 aut pudeat dum mane suas Philomela querelas
 137 instaurat seu majores sol suscitatur umbras,
 138 plena manu liquidis invergere dolia lymphis
 139 spumantemque cavis inferre canalibus amnem,
 140 solari et mollem cantu mulcente laborem ;
 141 aut etiam occasum ad solem primasque tenebras,
 142 dum nox Oceano nigris sese exerit alis,
 143 aut tenebris mediis et cum intempesta silet nox
 144 nec nocturna negat rorantia lumina Phoebes,
 145 et flumen ruere et fontes mersatilis urnae :
 146 tantum havet inspergi sese imbri Niasias arbor.
 147 Imprimis fuge Sithonii mala frigora caeli,
 148 afflatus cave Threicis Boreamque nivalem,
 149 quique Lycaonio spirant de vertice Cauri.
 150 Quod si non alia poteris ratione malignum
 151 frigus et Othrysii compescere flamina venti,
 152 obicibus cohibe ac summi molimine muri,
 153 aut olea et multa prudens circumtege lauro,
 154 aut valle occulta vastique crepidine saxi,
 155 aut ubi celsa suis obstent fastigia tectis.
 156 Quin et per validas hiemes, per sidera nota,
 157 cum caelum riget atque gelo coit altior aether,

158 tum gelidae noctes concretaque terra pruina
 159 imprimis metuenda et iniquus Jupiter hortis.
 160 Ergo quamprimum coniecto stramine et arctis
 161 cratibus, aut sparsis circum supraque maniplis
 162 impiger Alpini compesce incommoda caeli
 163 iratumque Eurum, aut fumos succende volantes,
 164 aut calcis vivae cumulosque fimumque calentem
 165 insterne et calidis gelidum aera vince favillis ;
 166 ac supplex venerare deos et thura benigno
 167 ure Jovi, avertat glaciem, componat et iras.
 168 Namque ferunt ob primitias quandoque negatas
 169 Junonem indignantem animo graviterque dolentem
 170 immisse et stragem arboribus citriisque ruinam,
 171 Hesperii generis malorum stirpe perempta ;
 172 donec eam Venus e Medorum divite silva
 173 relliquias relegens per Afrorum pingua culta
 174 rursus in Italiam genti transmisit habendam
 175 Aeneadam, quo priscus honos et cura nepotum
 176 in silvis veteres renovaret Adonidis ignes,
 177 aeternum et maneant monumenta insignia amorum.
 178 Tu vero, quotiens aestusque et solis iniquum
 179 fervorem metues rapidi et fera sidera Cancri,
 180 aut glaciem quotiens inimicae et tempora brumae,
 181 verge iterum latices, iterum fluvialia mersa
 182 stagna super ; sic ipse aestus, sic frigora vinces.
 183 Namque aestu sitientem alte externoque calore
 184 arentem madidans, sedas aestumque sitimque.
 185 At glacie inclusus calor aestuat et furit intus
 186 Flamma vorax. Tum funde himbrem, tum flumine largo
 187 irrorata siccis occulto ex igne medullas,
 188 quo vigor adversum soles se et frigora duret.
 189 Vere autem et cum sol paribus se temperat horis,
 190 tunc tuto liceat telluri infigere plantas ;
 191 nec toto verear scrobibus committere in anno,
 192 Aestate umbrosis in vallibus ; ast hieme et cum
 193 mollis in aprico mitescit terra recessu,
 194 si modo perpetuus laticum mihi defluat humor,
 195 nec desit conjux, plena quae diluat urna,
 196 et nunc frondenti ramo defendat ab aestu,
 197 nunc solem hibernis admittat mensibus, et nil
 198 linquat inexhaustum, curaque utatur et arte.
 199 Nec vero Insubrium campis, Ticinide terra,
 200 quaque Pado alniferis infert sese Adua ripis,
 201 ausit se riguis committere citrius hortis,
 202 nec qua juncta Pado scindit sua Mincius arva,
 203 arva virum, heroum, imprimisque feracia vatium ;
 204 arte tamen studioque Cloneia ponitur arbor
 205 in rheda, cui pingue solum, cui plurima tellus
 206 insit et assidua madeat stirps aurea dextra,
 207 sub Jove quae ferat aestates, hiemique malignae
 208 infertur tectis, calidoque fovetur in antro.
 209 Benaci tamen ad ripam Charidaeque recessus
 210 laeta nitet ramisque exsultat adonias arbor.
 211 Munus et hoc, Cytherea, tuum, dum forte canentem
 212 ad virides Saloi salices tua dulcia furta,
 213 et pueri amplexus teneros et Adonidis ignes

214 miraris vatem egregium, cui candida plaudit
 215 Verona et liquidis Athesis favet assonus undis.
 216 Ille suas canit ad volucres, sua reddit Adonim
 217 silva, Dionaeae ludunt ad carmina nymphae ;
 218 ipsa tuos repetis lusus, repetis hymenaeos,
 219 per silvas, per saxa sonat tibi gratus Adonis,
 220 antra et per valles resonat formosus Adonis :
 221 "Huc, o Adoni, ades, huc ades, o mihi dulcis Adoni."
 222 Addis et his etiam suspiria : suspirarunt
 223 et tecum salices et tecum flumina ; dumque
 224 et flectunt salices ramos et flumina cursum,
 225 illicet et salices frondes et poma tulerunt
 226 Hesperidum nemoris (nam sic, dea grata, tulisti),
 227 illicet et fluvii gaudent Cyrenide silva
 228 delituisse novoque comas nituisse decore,
 229 gaudet et ipsa suo Verona ornata Catullo,
 230 altisonisque favet reflexa e montibus echo,
 231 Sirmiaque auratis resplendent rura volemis.
 232 Sed tamen et scrobibus modus hic erit, ut neque in altum
 233 desideat nimis, ut quantum radice profunda
 234 haeserat, hoc paulo jaceat plus, eque lacuna
 235 hauriat ut solitos imbres madidumque fluentum :
 236 tum baculo aut pedibus facilem calcabis arenam.
 237 Parce tamen teneris fibris, cautusque benignam
 238 affer opem, indulge et levibus pueriliter annis.
 239 Haec inter geniumque loci nymphasque sorores
 240 implora auxilio, et faveas simul auspice dextra.
 241 Quin etiam vellens fosso de gurgite plantam
 242 rursus et infodiens, dextra fautrice, videto
 243 cum tenera radice simulque haurire, simulque
 244 nativae infodere et multum telluris, ut haerens
 245 in patria possit melius consuescere terra.
 246 Ipse vides puerum materno lacte repulsum
 247 indignantem alio ductare e pectore mammas
 248 uberibusque aliis dulces haurire liquores.
 249 Altera confestim subeat te cura, valenti
 250 sistere eam vallo sociisque adjungere truncis,
 251 ne venti excutiant teneram, ne verbere torto
 252 auferat inducto Boreas immanis hiatu
 253 et sublime volet rapidis jactanda procellis.
 254 Ergo et ubi in ramos frondens sese extulit, actis
 255 sub terram sparsim radicibus, injice ferrum,
 256 caede manu, ne in luxuriam fundatur inanem ;
 257 nam veniet quocumque voces. Sed frigora vita,
 258 neve alte inflictum cera contingere vulnus
 259 sit pudor, urat ne calor, aut ne frigora laedant.
 260 Atque hinc quo cultu citrii quave arte vel usu
 261 proveniant, paucis (nam nec sunt multa) docebo.
 262 Partem etenim insitio, partem sibi semina, partem
 263 vendicat in generis sobolem producta propago.
 264 Ergo ubi subductum felici e matre flagellum
 265 videris, hoc gladio medium feri et injice saxum,
 266 qua vulnus patet, et plagae sic consule hianti ;
 267 inde terebrato per aperta foramina fundo
 268 fictile conjicias, pulla et mox obrue terra,
 269 nec sit parca manus stillanti infundere gutto.

270 Radicem lento ducet de cortice ramus,
 271 subjicietque novas geminato ex ubere vires.
 272 Ergo ubi in Italiam quater adventaverit ales
 273 Daulias, i, rescinde manu atque excide securi
 274 frondentem ramum, et terrae committe subactae
 275 optatam prolem fibris et fronde vigentem,
 276 ornet ut excultos et flore et frugibus agros.
 277 Quin etiam, cum se felici matris in umbra,
 278 eduxit soboles, ferro diffinde et adactum
 279 infigas lapidem, ducto mox infode sulco ;
 280 crescet in immensum multa radice virago.
 281 Si tibi seminium curae, primum elige terram
 282 sole sub aprico, nulli quae obnoxia vento ;
 283 hanc validis rastris et duro verbere marrae
 284 discute, et in tenuem redigas studiosus arenam.
 285 Hinc semen legito, lectum graviore notatu
 286 aequatis spatiis serito dextraque fideli
 287 infodito, infossum solito de more rigato,
 288 et studiosa manus divellat gramina circum.
 289 Non mora : jam toto tollent sese agmina campo,
 290 et paribus spatiis aequato et Marte ferentur.
 291 Hinc brevibus vallis sub signum figito, et herbas
 292 ipse manu legito, lectas sub sole cremato,
 293 saepius et duris agitato bidentibus alte
 294 frondentem silvam Zephyrosque aurasque cientem.
 295 Nec vero non illa tibi sit maxima cura
 296 et pubi tenerae, et postquam sese extulit arbor
 297 sordentes soleas simul et praesegetina tetra,
 298 illuviem immundam crassisque liquoribus haustam
 299 ingerere, humorem ut lentum radicibus imis
 300 instillent imbri atque actis fluvialibus undis.
 301 Praecipue foetus gravidos nitidamque juventam
 302 praestabunt infossa canum tibi squalida tabo
 303 corpora, dum pingues gaudent uligine fibrae
 304 luxuriantque hieme in media atque arenis arvis ;
 305 nec dubita aggestum cinerem squalentiaque ossa
 306 mersa solo infodere, aut hominum excrementa suumve
 307 inferre, aut laetis sparsim radicibus urnam
 308 fundere et humani malevolentia flumina lotii,
 309 nocte tamen, ne te petulans vicinia damnet
 310 nidore offensa et graviter spirantibus auris.
 311 Jam tempus legere et cultis disponere in hortis,
 312 et tondere manu, et rivos agitare sonantes,
 313 colligere et plenis redolentia citria ramis
 314 aestivum ad solem et vento crepitantibus umbris.
 315 Colligis ipse manu. Conjux in parte laborum
 316 dulcis adest, capit expensis de fune canistris,
 317 et mirata sinum pomis gravioribus implet.
 318 Et (memini) astabat conjux, floresque legentem
 319 Idalium in rorem et Veneris mollissima dona
 320 amplexata virum, molli desedit in haerba
 321 et mecum dulces egit per carmina ludos ;
 322 quae nunc Elysios, o fortunata, recessus
 323 laeta colis sine me, sine me per opaca vagaris
 324 culta roseta legens etserta recentia nectis ;
 325 immemor ah nimiumque tui studiosa quietos

326 umbrarum saltus et grata silentia captas.
 327 Sparge, puer, violas, manes salvete beati :
 328 uxor adest Ariadna meis honeranda lacertis.
 329 O felix obitu, quae non violenta Brigantum
 330 perpessa imperia, quae non miserabile nati
 331 funus et orbati senis immedicabile vulnus
 332 vidisti et patrios foedata sede penates.
 333 Sed solamen ades, conjux ; amplectere, neu me
 334 lude diu, amplexare virum ac solare querentem
 335 et mecum solitos citriorum collige flores.
 336 Est vero et duplex citrii genus, et quod amores
 337 jucundos referat dulces et Adonidis ignes,
 338 (sic placitum Veneri) dulce hoc ; quodque acre dolores
 339 et tristes luctus et lamentabile funus
 340 sorte refert, suus ut lacrimis ne desiit amaror.
 341 Rara sed ausonio Lamiaeque in litore fetus
 342 dat dulces, succosque frequens meditatatur acerbos ;
 343 contra solis ad ortum atque in gangetide terra
 344 sponte sua dulcem victum ac redolentia ramis
 345 mella liquat, fluit eque Indis liquor Atticus hortis.
 346 Nuper enim Hesperio oceano Calletia pubes
 347 digressa, ignotosque locos et inhospita sulcans
 348 aequora, non solitos tractus, nova litora obivit,
 349 et procul arentis Libyae penetravit arenas
 350 audax, nec notas, pontus quas circuit, urbes.
 351 Hinc Austro approperans caeloque intenta cadenti
 352 sideraque adverso servans labentia mundo,
 353 incidit obscurum gelidi Aegocerotis in orbem
 354 attonita et rerum novitate umbrisque locorum ;
 355 inde pedem referens Prassi convertit ad oras,
 356 barbaricumque fretum exsuperans Rhaptique procellas,
 357 tandem gemmiferos Indi defertur ad amnes
 358 litoraque e citriis semper fragrantia silvis,
 359 e quibus Hyblaeosque favos et Hymettia fetu
 360 mella dari, dulcemque refert e cortice rorem
 361 sponte quidem at succos longe indignanter amaros :
 362 usque adeo caelique situs solaque abdita terrae
 363 et soles variant ipsi positusque locorum.
 364 Ergo alibi natura, suo se robore firmans,
 365 indiga nil opis est nostrae victrixque superbit ;
 366 ast alibi curasque hominum atque inventa requirit,
 367 obsequiturque arti et legum sese arctat habenis.
 368 Namque haec sponte sua quaedam se in luminis oras
 369 educunt, matrisque suae tolluntur in umbra ;
 370 illa hominum exspectant operas manuumque laborem,
 371 naturae tacitum minus : nam prorsus ad artem
 372 insitio est referenda humanae et mentis acumen,
 373 de qua post in parte sua suo et ordine dicam.
 374 Sin curae tibi sit grandes educere fetus,
 375 et patulas implere manus, age, decute ramis
 376 crescentem prolem, e multis ut pauca supersint
 377 poma, sed et majora loco et magis auspice nata ;
 378 uberiore etenim succo laetabitur haeres
 379 fraterni lactis vacua et dominator in aula.
 380 Neve autem toto fructus tibi desit in anno,
 381 carpe manu partem et plenis bacchare canistris ;

382 quae reliqua est, gravidis sinito gaudere volemis.
383 Confestim qua parte dolet viduata recentem se
384 induit in florem atque implet spe divite ramos ;
385 sic etenim alterno ditescet silva metallo.
386 Nunc, quae sit formae ratio et quae cura, docendum,
387 undique quo decor ipse sibi et nova gratia constet,
388 nec frustra veteres Veneris referentur amores.
389 Non alias cultu majore incessit Adonis
390 venatum, non Niliacas spectatior umquam
391 in silvas, non ante Venus majore paratu
392 ornat, quam luce quidem, qua fossus ab apro
393 concidit et nigras tabo madefecit arenas.
394 Cingebat crinem myrrae de palmite ramus,
395 ad frontem roseus diffulgebat hyacinthus,
396 succincta et nitidum velabat purpura pectus,
397 collaque fulgentes variabant candida baccae
398 sparsim purpureis et caeruleis immistis,
399 cingulaque auratis radiabant aspera bullis ;
400 elatis humeris pendebat aheneus ensis,
401 ad capulum viridis fulgebat in orbe smaragdus,
402 interstincta auro vagina, argentea cuspis,
403 crura Cleoneae vestibant levia pelles,
404 distinctique auro Tritones et aurea cymba,
405 qua quondam Paphias Venus ipsa enavit ad arces ;
406 horrebant manibus duro venabula cornu
407 et paribus nodis paribusque nitentia gemmis.
408 Talibus ornatum in silvas dea mittit opacas,
409 Osculaque in roseis linquit signata labellis ;
410 arboreos igitur cultus dea poscit et ipsis
411 ornatu atque auro longe splendescere in hortis.
412 Quocirca cum primum aetas feret, ipse benigna
413 siste manu plantam rectoque in stipite firma ;
414 siquid et incultum, ferro preme ; ferrea cera
415 vulnera perlinito, frigus ne permeet artus ;
416 in conum crescat facito, ramosque fluentes
417 sedulus attondeto et legem frondibus indito.
418 Usque suus puero ne desit lacteus humor,
419 tu tenui calicem suspende in palmite filo
420 imple et aqua, tenuemque in aquam mox injice vittam,
421 quae labro emineat pendens, quae stillet et usque
422 languentem rorem, levi qui cortice labens
423 ducat limosam gutta fluitante lacunam ;
424 at postquam sese summas subduxit in auras
425 et felix trunco et ramis frondentibus arbos,
426 liberior tibi sit durata et frigore et aestu.
427 Non omnis tamen aut labor est, aut cura neganda ;
428 nec tu parce oculis, dextrae si parcis, nec te
429 aut sobolem mirari, aut ramos forte gravatos,
430 aut pigeat mediis laudare in solibus umbras,
431 aut genio indulgentem agitare choros et iniquo
432 sole sub appositisque toris mensaque beata
433 ludere, fumosum puero fundente Falernum.
434 Interea florum nimbus cadit, et fragrantem
435 ad praedam conjux, ad praedam nata generque
436 surgit laeta toris et flore exsultat honesto,
437 quem lectum liquat ac thalamos inodorat, amorumque

438 ipsa viri memor et vestes intingit et ora.
 439 Ergo et frondentem bruma mirabere et aestu
 440 florentem, auratis utroque et tempore malis
 441 fulgentem : cole sub nivibus, sub sidere Cancri,
 442 nocturnis neu parce operis, neu parce diurnis.
 443 Quoque modo id facias exempla antiqua monebunt.
 444 Rivus aquae fluat, aut fontes roratilis urnae
 445 muniat elatus paries ; Daphneia laurus
 446 multa tegat super et grato tueatur amictu,
 447 arceat et fulmen ; quotiens et cura vocarit
 448 sparge fimum, calcis tumulos age, neve nivales
 449 sistere per ramos patitor, sed discute nimbos,
 450 ingentesque cita fumos et consere pugnam
 451 flatibus hibernis culmoque et crate saligna.
 452 Sed memini, cum nullae artes, non arma dolique
 453 vim caeli adversam ferrent : periere comantes
 454 silvae, obriguere gelu nemora omnia, late
 455 irrumpit mors, intereunt decora alta sororum
 456 Hesperidum, saevit Scythicis Aquilonibus aer,
 457 concreta et solitos sistunt cava flumina cursus.
 458 Quod quando (avertat Venus ipsa) rigentibus Euris
 459 contigerit, neu tu gladio neu caede securi
 460 arentes hortos, sed calce, sed imbre madenti
 461 affer opem. Hoc saepe ipse hieme, hoc et vere tepenti,
 462 deceptum nec te fallet labor : ecce repente
 463 pullulat ab radice aut summo stipite, laetus
 464 effundit gemmas, turgenti et germine frondet.
 465 Si te delectat species quadrata phalangis,
 466 in quadram dispone ; acies si forte Latina,
 467 porrige et in longum ; sin et per florida rura
 468 sparsa manus, decor ipse aurique et gloria frondis
 469 est eadem. Nitet in mediis stirps aurea lucis,
 470 qualis mane novo, cum se fulgentibus astris
 471 extulit Oceani formosus Lucifer unda,
 472 quocumque inspectat, quoquo sua verterit ora,
 473 nil illo radiat fulgentius, omnia cedunt
 474 astra simul, toto exsultat Venus aurea caelo.
 475 Et quoniam assuetudo mali veterumque laborum
 476 naturam exsuperat tolerando et acerba ferendo,
 477 idcirco videas silvestri saepe recessu
 478 non ulla rastrorum opera manuumve labore
 479 et fructus parere et solidis frondescere campis
 480 Hesperiam citrium, inculto et dominarier arvo.
 481 Hinc alii, postquam e sulco sese extulit actis
 482 sub terram late radicibus et stetit artus
 483 fixa solo, minus indulgent operamque remittunt,
 484 a teneris quo consuescant nivibusque sitique.
 485 Nec vero cultusque soli, aut vis falcis ahenae,
 486 aut tantum juvet undanti de tramite rivus,
 487 quantum Auster Libycoque ruens de litore flatus
 488 autumno noceant : perit hic labor omnis et ille,
 489 ah, fructus decor ac frondis squalescit, ut arbor
 490 arescat viduata, ut ramo et fronde perusta
 491 maereat, heu, liquidis nil proficientibus undis.
 492 Ergo altas saepes praetende, et brachia junge
 493 densorum nemorum, et clipeis ramalibus obsta

494 adversae lauri aut quercorum umbrante cohorte.
495 Quod si nec studium frugis nec cura movebit
496 hortensis lucri, nemoris sed sola voluptas
497 quaeritur et variis umbracula nota figuris,
498 ante locum capias, quem fons aut flumina propter
499 lapsa fluant, unde et rivus ducatur aquarum,
500 aut puteus propius scateat, ne forte per aestum
501 languescat moriens, mox et rigor asper adurat,
502 et labor et silvae pereant incepta superbae ;
503 parietibus mox obde futuras ante procellas
504 avertens ; post hinc quadras age, dirige fossa
505 et dispone locos et vallis agmina cinge.
506 Infode dehinc teneram prolem et sere tramite certo
507 et vinclis obstringe, obeunda ut munera discant
508 a pueris, sed quisque suo spatioque locoque ;
509 inde, ubi et assiduo cultuque operaque magistri
510 porrigit et ramos et frondes explicat arbos,
511 ad munus lege quamque suum et dispone figuras,
512 gratum opus, informemque gregem ad speciosa vocato.
513 Haec altam in turrim aut in propugnacula surgat,
514 haec arcum intendatque et spicula trumat, at illa
515 muniat et vallo fossas et moenia cingat,
516 illa tuba armatos ciat et vocet agmen ad arma,
517 altera tormento lapides jaculetur ahenis,
518 discusset castella et ruptis agmina muris
519 immittat, factaque acies (immane) ruina
520 irrumpat portis et congregiatur apertis,
521 diruat et captam irrumpens exercitus urbem.
522 Ars igitur tempusque et vis innata perenni
523 cura hominum nemora in lanas vertere, ut in hortis
524 e foliis ramisque et diversis contextis
525 jam videas fulgere novis aulae figuris.
526 Nec vero spatium vitae breve, seu breve tempus
527 est citrio, aeternum genus, immortalis origo,
528 et species aeterna quidem. Stirps citria longum
529 ipsa manet saecula exsuperans, et jungere saeculis
530 saecula parans trunco extincto mox surgit et alter,
531 inde alter victrixque diu sua robora servat.
532 Sic placitum Veneri et Parcae statuere faventes,
533 quae rerum seriem et fatorum arcana ministrant.
534 Namque ferunt rursusque colos et stamina retro
535 coepisse et versos rursus in contraria fusos
536 volvere fatorum dominas, quo lucis in auras
537 extinctum revocent vitaeque ad munera Adonim,
538 et Veneris dulces iterum instaurentur amores.
539 Non passa est dea, dum versum in nova corpora monstrat,
540 dum foliis simul et pomis longum optat honorem.
541 Illae igitur properare manu atque evolvere pensa,
542 tenuia pollicibus formabant ducta supinis,
543 atque eadem impressis purgabant morsa labellis ;
544 discolor at positis variatur lana canistris,
545 caeruleaque viridisque alboque insignis et aureo.
546 Caerulea dum digitis intorquent fila virensque
547 subtegmen neitur, stipes se subjicit, alti
548 in latum pandunt rami et nova provenit arbos,
549 ac sensim patulis adolescit frondibus umbra.

550 Inde canunt : "Cresce aeternum victura, perenne
 551 servatura decus foliorum et divitis umbrae
 552 ornatura domos procerum atque palatia regum,
 553 materiamque datura sacris post vatibus, arbor."
 554 Atque hinc candentis deducunt vellera lanae,
 555 divinumque labris stillant fragrantibus imbrem,
 556 stamina quo intincta et fusi simul omne volumen
 557 in flores vertuntur, opacaque silva nitescit
 558 candore, et viridi miscent se ebora indica gemmae,
 559 aemulaque Assyrios spirant pomaria odores ;
 560 ipsae autem tenerum solantur voce laborem :
 561 "Fundite odoratos flores, nemora inclyta luxu
 562 perpetuo et ramis semper florentibus hortis,
 563 semper odore novo semperque virentibus umbris,
 564 aeternum Veneris monumentum insigne et Amorum."
 565 Mox et sepositis educunt fila quasillis,
 566 aurea fila cavumque rotant implexa sub orbem.
 567 Illicet Hesperiiis illa intumescere volemis,
 568 pomaque pensilibus micuerunt aurea ramis,
 569 insolitum radiat folia inter opaca orichalcum ;
 570 tum Parcae auspicio cecinerunt omnia laeto :
 571 "Et fructu felix et flore et fronde recenti
 572 vive, arbor, supera et saeculis labentia saecula,
 573 hortorumque honor et nemorum ac geniale domorum
 574 delictum, tua vel reges umbracula captent,
 575 ipsaque continuis juvenum celebrare choreis ;
 576 te convivia, te thalami nuptaeque frequentent,
 577 semper ament, quicumque tua versantur in umbra,
 578 assiduum referant frondes ver, aemulus aurum
 579 fetus et argento niteat flos concolor albo."
 580 Sic placitum, sic fata neunt, Amathuntidi sic stat.
 581 Ergo agite, o tenerae colitis quae flumina nymphae
 582 Fundana et Lamios rivis trepidantibus hortos,
 583 Phormiades nymphae, quae roscida culta Suessae
 584 quaeque Amalpheos saltus fulgentiaque auro
 585 Sirenum rura et fulvis sata saxa metallis ;
 586 hoc agite, o roseae mecum sua sarta puellae
 587 ferte deae, varioque halent altaria flore,
 588 spiret et e nitidis genialis amaracus aris.
 589 Magna Jovis proles eadem pulcherrima mater
 590 Aeneadam, tibi nos meritos largimur honores,
 591 Idalii regina, tuos nos pangimus hortos
 592 et tibi Arangaeae crescunt ad flumina silvae
 593 Moeriadum et litus felix Bereniciaeque arva.
 594 Tu stirpem, dea, tu citrios defende comantis,
 595 arce aestum, compesce nives et frigora pelle,
 596 siste et ab arctoo perflant qui cardine venti,
 597 perpetuum Niasaea decus frondescat ut arbor.
 598 Haec ego ; vos autem, placidissima numina, nymphae,
 599 oscilla e summis suspendite mollia ramis,
 600 formosumque sonent et ripae et litora Adonim ;
 601 pars choreas agitate deumque ad festa vocate :
 602 "Pulcher ades felixque ades ad tua munera, Adoni,
 603 et cape Partheniae nectunt quae texta puellae,
 604 texta auro radiata et flore nitentia verno,
 605 quae referant veteres formosae Amathusidis ignes."

606 Nos canimus, favet en facilis cantantibus echo,
607 et divina procul responsant antra sororum.

H_2 v.1 Jamque alios vocor ad cultus aliumque laborem
2 hortorum ; neque enim simplex genus unave stirpis
3 Hesperiae soboles, ratio aut tantum una colendi.
4 Acrumen genus omne, novo sub nomine, plures
5 diditur in partes, uno quae cortice fetus
6 dant alios tamen atque alio se stipite tollunt.
7 Pars exacta quidem prima est. Nunc o mihi, natae
8 Pleiones, astate atque aspirate canenti ;
9 vester honos agitur, vestro sub nomine crescit
10 hoc opus et vestris mea tempora cingite sertis ;
11 vos quoque adeste simul facilesque estote, puellae
12 hortorum memores ; tuque, o mihi culta Patulci,
13 prima adsis primosque mihi, dea, collige flores,
14 impleat et socios tecum Antiniana quasillos :
15 sic tibi perpetuum spiret rosa, floreat urna,
16 scilicet urna, tui qua conditur umbra Maronis,
17 ambrosiae fundat rivos, det nectaris amnes
18 Mincius et niveos semper tibi pascat olores
19 et laetata suos iteret tibi Mantua cantus,
20 Mantua dives avis, dives Gonsagide prole,
21 ac nova Lucrinae stupeant ad carmina cautes,
22 sistat et ipsa suos mirata Neapolis amnes.
23 Tu quoque partem hanc Phaurusii ne despice ruris,
24 Francisce, armorum et studiis quandoque remissis,
25 neu tibi displiceant silvae stachiritides, aut te
26 non capiant fulvis radiantia poma corymbis.
27 Mars belli decus, ipse deus bellicque repertor
28 et Venerem atque hortos amat atque hortensia dona ;
29 exemplumque dei sequere armipotentis et artes,
30 namque tibi Aethiopum e campis, Garamantide ab ora
31 poma fero, poma excubiis vigilata draconum,
32 Herculeae meritum clavae, nova munera gentis
33 Romulidum, aetheriis famam quae sustulit astris.
34 Ecce autem, num ne haec caelo delapsa liquenti
35 stella nitet ? Num forte novum sese exerit astrum,
36 et felix astrum et nostris aura addita coeptis ?
37 En virides citro silvae, en limonia rura
38 praetendunt frondes ? En quae panduntur et umbrae ?
39 Quique aurum luci nemora et generosa metallum
40 irradiant ? Quibus ipsa nitent ramalia gemmis ?
41 An conjux Ariadna viri memor et memor horti
42 sese offert ? O hortenses miserata labores,
43 uxor, ades : cape rastra simul, cape sarcula et ipsis
44 innitens incumbe bidentibus, et frondosas
45 falce premas citros, simul et rorantibus urnis
46 funde amnes, spument plenis stagna ipsa lacunis ;
47 ac tandem juvet optatos decerpere flores,
48 et fructus legere, atque aestus vitare sub umbra
49 ducentem socias nympharum ad plectra choreas.

50 Vos mecum Uraniae Aonium instauratione laborem,
51 ac mecum auricomae citrorum pangite silvas.
52 Hesperidum in silvis Niasaei et margine fontis
53 nec fructu, nec odore citro, nec munere mali
54 praestat adhuc arbor ; tantum sibi sumpsit honoris,
55 si sit et ipsa arbor. Nam stipite debilis imo
56 nec cono insurgit nec in aera tendit apertum,
57 viribus at defecta suis aliena moratur
58 praesidia, et vallis adjuta potentibus alte
59 explicat et ramos et sese extendit in artus
60 insignis fronde et fragrantis imagine pomi ;
61 tanta etenim caeli mole ac vertigine pressus
62 Atlas, dumque humeris timet et prospectat Olympo,
63 invisus citro et femur et vestigia firmat,
64 inconcussa tenens firmatis terga lacertis,
65 suffecitque oneri et mundum cervice refulxit.
66 Hinc manet accurvata et palmite flexilis arbor,
67 testaturque senis cedentia membra labori,
68 at dives meritis et fructu et fronde superbit
69 indignata umbras nemorum cavaque antra ferarum.
70 Ergo illam quernis in postibus inque dolato
71 robore constitue et multo cum vimine vinci,
72 immissisque hastis trajecta consere canna
73 apricum ad solem, avertens Boreamque nivemque,
74 fundens et laticum scatebras ; ne absiste novare
75 tellurem radice procul, neu negligere campae
76 ingluviem cohibere manu, seu carmine dicto
77 pellere limitibus magicoque avertere cantu,
78 ter quod anus succincta irato immurmuret ore,
79 ilicet et Manes Lethaeae et numina ripae.
80 Prima igitur florum tibi cura supersit et omne
81 impende huc studium ; nam, si te gloria rerum
82 delectet, juvet Hesperii et praestantia ruris,
83 nec mora, dum gravidos honeret vindemia ramos
84 grandiaque infixis mirere et mala columnis,
85 ut timeas pendentem alta de mole ruinam,
86 ut mediis persaepe decembribus inque furenti
87 solis anhelantis rabie sit cernere gentem
88 in florem ruere et fructus properare recentes.
89 Annua quamquam et bima simulque et menstrua pubes
90 pendeat uberibus fraternaque brachia late
91 diffundat, domus alta novis laetatur alumnis ;
92 usque adeo furit in venerem generosa propago
93 natorumque et amor trahit et cura illa nepotum.
94 Ergo, age, crescentem prolem a Borealibus auris
95 et culmis tueare, injecto et mergite farris,
96 aut gravido centone, aut vimineo contextu,
97 frigora ne perimant, pereat labor irritus anni ;
98 nec pigeat scenam frondentem aestate superne
99 injicere et ramis prohibere tenacibus aestus,
100 ferventes aestus rapidi et fera vulnera Cancri,
101 quamquam sole suo gaudetque calentibus arvis
102 et patriam Aethiopem meminit Mauriciaque arva.
103 Sterne et humi calidumque fimum lapidesque recoctos,
104 dum caelum riget ; ast utroque in tempore largos
105 funde imbres, inverge urnas et flumina sicca.

106 Vere autem, cum priscus honos hortis redit et cum
107 garrula limosas sedes molitur hirundo
108 ac tenui solitum frustratur voce laborem,
109 falce premes citri silvas annosa recidens
110 brachia ; non tamen ista tibi sit, ut annua cura.
111 Tum fragmenta lege et ramos secerne valentis,
112 obliquosque infige solo, tamen ut capite extent,
113 stipitis aut truncum gladioque et falce dolatum
114 infode et in tenui nudatum contege sulco.
115 Continuo ingentem vicino ex amne paludem
116 elice, diluvioque comas immerge salubri.
117 Haud multum fluet, emerget vastissima silva
118 solaque praecultis regnabit citrus in hortis,
119 pendebunt gravidis tabulata aurata racemis,
120 quae mox lecta tibi natalibus annua festis
121 ornentur mensis, circumque domestica pubes
122 libet et ante focum melle illita et undique turba
123 clamet : "Io, bonus annus eat." Tu, flatibus Euri
124 ne noceant, memor anteveni, sive objice firmo
125 praeruptorum operum longive crepidine saxi,
126 aut adversa procul depulset verbera laurus,
127 aut circum ramosa abigens testudine cinge ;
128 atque Austro tueare una atque uredine salsa
129 defensor nemorum generosique incola ruris,
130 si te cura movet tantorum et fama laborum.
131 Sin forte in varias juvet et te ducere formas
132 nascentem citrum mutato et corpore mala,
133 tu faciem e ligno argillae aut de cespite ductam
134 subjice, et infantem tenerum nutricis amato
135 conde sinu. Paulatim artus formabit et inde
136 ducet inumbratos signato in cortice vultus,
137 occultas natura hominum miretur ut artes,
138 spectatum veniant non nota ut poma Napaeae,
139 ut Pomona suo laetata assurgat honori,
140 exsultansque novis plaudat Zephyritis alumnis.
141 Est nemus extremis Calabrum inviolabile terris
142 Diis sacrum patriis multa et pietate verendum,
143 arborei dives fetus, volucrumque rapinis
144 opportuna domus, tuta et spelaea ferarum.
145 Hoc nemore ex ipso lucisque horrentibus olim
146 advectam memini stirpem, quae citron ab omni
147 parte et odore quidem foliisque et flore referret,
148 sed fructu variata et longe aliena figura ;
149 vix orbem retinens, protento at corpore longos
150 sese agit in ductus, varia et trahit agmina cauda.
151 Quid moneam, ne te capiat tam indigna cupido
152 hortensis monstri caelatam implere tabellam ?
153 Ah procul infamemque notam atque averte pudendum
154 dedecus. En formosus adest chorus, ecce puellae
155 jam cupiunt legere Idalios et jungere flores :
156 ne prohibe Idalias carpando a flore choreas
157 infami portento aut saeva ab imagine terrae,
158 neu pudor inficiat, neve ora tenerrima pallor
159 deformet, suppressa tegant ne lumina palmae.
160 Aeternum tibi sic niteat ver, aurea semper
161 mala adsint, spiret Syrius procul hortus odores,

162 nullo et Acidalii desint tibi tempore rores.
163 Tu vero, prolem ut teneram tueare benignis
164 indulgens studiis majoraque corpora formes,
165 fige trabes, tabulata simul dispone et in altis
166 infantes insterne cubilibus et frondoso
167 siste toro ; ducent placidam per amica quietem
168 ocia, ut ignavos sopor et cibus impleat artus.
169 Si curae tibi sit lecta e frondentibus hortis
170 servare, ut viridem teneant annosa vigorem,
171 hoc age : carpe manu in tenebris, in nocte maligna,
172 frondentem ramum frondenti et palmite mala,
173 palmite cum valido frondem retinentia ramumque,
174 et tibi nulla suas ostendat luna tenebris,
175 luna soporiferis sub terras abdita bigis ;
176 mox illa in latebris unco suspende tenaci
177 et blandire manu et ventorum averte procellas,
178 aut paleis strata et stipulis arentibus ; inde
179 servabunt nitidam propria cum fronde senectam.
180 Hoc vero differt citrio citrus : illa superbos
181 sese agit in ramos proceros et stipite surgit,
182 termite at haec fragili lentoque cacumine terras
183 prona petit fixisque cadens incumbit in hastis ;
184 huic major solis odor est et fetibus, illi
185 floribus ; aeterna silva vestitur uterque
186 stipes et aeternam ducit sub fronde juventam ;
187 flos illi albescens medioque interlitus auro,
188 hunc inspersa notat postremo purpura limbo.
189 Ergo ab odoratis maturo tempore ramis
190 aurea poma legunt, plenisque relata canistris
191 suffigunt laribus, divumque altaria donant
192 primitiis, sertisque deos halantibus ornant ;
193 sepositas etiam vestes lucensia texta
194 a tineis tutantur, odore medentur et ipso,
195 arcent et Tyrios tetra a rubigine comptus.
196 Munere quin etiam mali frondentis ab alto
197 Oceano (nam prisca quidem sic credidit aetas)
198 Pleias Alcyone Neptunum ad litora traxit.
199 Multa querens fragilemque fidem thalamosque negatos
200 et sibi praepositos Stachirae Phaurusidos ignes
201 clamabat, dextraque etserta et poma tenebat
202 infelix conjux ; ac nunc miseranda papillas
203 nudabat roseoque sinu invitabat amantem,
204 nunc exerta genu primasque illapsa per undas
205 candida rejectis ostentat crura cothurnis,
206 nunc effusa comas scopuloque insignis ab alto
207 crudelem vocat, ac vires superante dolore
208 labitur exanimis siccaque insternitur alga.
209 Sensit fragrantem extremo de litore ramum
210 Neptunus, captusque aurati munere mali
211 et serto insigni, lacrimis quoque victus amantis
212 currit in amplexum cupidisque extollit in ulnis.
213 Illa viri ut gremio intepuit, calidusque per ossa
214 ignis it, amplexu et tenero fovet ora mariti,
215 ornavit serto caput atque Cloneide fronde,
216 implevitque sinum pomis felicibus, auroque
217 extinctos revocat praerepti conjugis ignes.

218 Tertia jam superat limonis cura colendae,
219 et rarus labor et coepti meta ultima nostri.
220 Adsitis, nymphae Cyrenides, o mihi, nymphae
221 Masitholae, aspirate, o quae Paliurides umbra
222 gaudetis, juvat et fluvios habitare recessus,
223 et citri juvet umbra, juvent limonides aurae,
224 Hesperidum et veteres cantu renovemus honores.
225 In manibus nemus auricomum Chariteiaque arva,
226 vestrum opus, o Charites ; vestro nam munere quondam
227 Itala limonem noverunt litora, nam vos
228 et causa meministis eam et memorare potestis,
229 nec vestris meritis aeternae aut parcite famae.
230 Fonte Nisaeio sese Venus aurea quondam
231 laverat et pexos comebat nuda capillos,
232 purpureo Charites pingebant ora colore
233 ambrosio et niveas afflabant rore papillas.
234 Ecce puer passis volitans super aera pennis
235 laetus adest, matrem amplexus, nova gaudia portat :
236 "Te Sireneis felix Hymenaeus in oris
237 exspectat, thalamosque parat Magnetis Amalphis ;
238 i, propera Italicos illic molire triumphos,
239 mater ; ament et saxa." Atque haec effatus hiulco
240 ore, simul genitricis et ora et labra momordit.
241 Surrisit dea et allectis Tritonibus altum
242 ire parat. Dum colla Venus, dum pingit et ora
243 ad thalamos ventura, et Amor dum territat arcu
244 semideos maris et ponto minitatur et undis,
245 interea Charites limonia dona pararunt,
246 quae ferrent nuptae : triplex genus, altera fetu
247 exiguo atque acrem gustu referentia sensum ;
248 altera quae fructu majore et rorida succo
249 uberiore, sed oblongo tamen utraque ductu ;
250 tertia quae grandi fulgent onerata volemo,
251 ac citrii referant sinuosa ab imagine formam,
252 sed succo ingrato, quemque ora offensa recusent :
253 hic tamen admotusque foco sensimque recoctus
254 instillante anima ac tenuem conversus in annem
255 ora puellarum maculis lavit, et candorem
256 inducit nitidis per colla argentea guttis.
257 Ergo ubi concinuit festis Hymenaeus, et ipsa
258 fessa est assiduis ludens Cytherea choreis,
259 munere felici Charites Nereida Amalphin
260 donarunt, fuit et teneris sua gratia verbis.
261 Hinc rarum accessit decus hortis, et nova silvis
262 gloria gemmiferis fontes nituere sub umbris,
263 candidaque auratis fulxerunt litora ramis ;
264 hinc et stirpis honos, hinc et Chariteis Amalphis
265 munere limonum et nemorum redolentibus auris
266 ornavit thalamos, felixque Hymenaeos et aras
267 pinxit flore novo sparsitque Atlantide fronde,
268 et passim stratis laetata est alga metallis.
269 Quod vero aut viridem trahit a radice colorem
270 frondibus ac fructu, aut acuit sensumque palatumque,
271 hinc nomen dubia certum sub origine mansit.
272 Est idem cunctis cultusque et cura, et iniquum
273 caelum indignantur frigusque aestumque gravantur

274 Masitholae limones, at humida flumina poscunt
 275 auxilio et densas laurorum in proelia turmas.
 276 Sed minor illa quidem cultu majore tuenda ;
 277 namque legenda hiemi tecto ac stipanda maniplis
 278 et circum tabulata fimo jungenda tenaci,
 279 ne caeli rigor aut Boreas immanior urat.
 280 Nam neque sic thalamis clausis assueta puella,
 281 fota sinu genitricis et ostro induta nitenti,
 282 aut timet obstrictas gelidis Aquilonibus auras,
 283 frigoris aut rabiem sub iniqui sidus Aquarii.
 284 Idcirco solem spectet, post terga virenti
 285 seu lauro seu rore maris cingenda, nec unquam
 286 sola hiemi credenda tibi Chariteia limon,
 287 et florem semper parituraque semper honorem
 288 aurati fetus ramo et placitura comanti ;
 289 qualem praerupti sub vertice montis adeso
 290 litore secessu in molli, sub rupe cavata
 291 et baccho felix, felix Amathuside myrto
 292 frondenti et lauro Neptunia Mergilline
 293 laeta colit, non aestus eam, non frigora tentant,
 294 non rivi crepitantis opem, non fictilis urnae
 295 exoptat sitiens, large quam Thespias unda
 296 Actiaque Aoniis irrorent dolia lymphis.
 297 Ah fatum crudele hominum et sors invida votis :
 298 ignotos nunc per populos, per Gallica regna,
 299 horrentem ad Rheni ripam atque ad Norica saxa
 300 exulat Oceanique vada ad squalentia tabo
 301 navifragum, extremos queritur Syncerus ad axes.
 302 Interea sitiunt citri ac limonide in umbra
 303 torpet humus, decor ille horti fragrantis et aurea
 304 Pleiadum intereunt mala, ac sine honore relictum
 305 litus et errantem dominum lacrimantur arenae ;
 306 at nymphe e scopulis summique cacumine saxi
 307 incusatque deos, caelumque et sidera damnat,
 308 et saxa et miserae responsant antra puellae.
 309 Jam reliqua insitio est hominumque industria. Nunc tu
 310 huc adverte animum, et veterum cape dicta virorum.
 311 Citrigenum species cum sint et germine et ipso
 312 cortice tam similes cognato et semine junctae,
 313 hospitia hinc sociis jungunt communia tectis
 314 affines ramos, et dant capiuntque vicissim,
 315 et mutant proprios alterno foedere fructus.
 316 Non unae hinc species, sed misto semine plures
 317 scinditur in partes nemus et sua nomina miscet ;
 318 accipit et citrium limon, limonaque citrus
 319 hospitio, et sociis ineunt convivia mensis,
 320 accipit et thalamo citrium citrus, et sua tractant
 321 jura simul, junctisque toris accumbit uterque.
 322 Hinc species mistis crescit variata figuris.
 323 Ergo nunc ramos libro demitte sub udo
 324 artificii dextra, fixo nunc injice ligno,
 325 atque alte impacto cuneo insere, alteriusque
 326 cortice cum junge, et cera mox illine adacta,
 327 ulmeaque obsaepis constringe et vincula plagis,
 328 arceto et pluviam conjecti cespitis herba.
 329 Nunc et crescentem vicino e margine virgam

330 admove, et inciso levi sub vulnere libro
331 sic fige, ut lento desint ne cingula nodo ;
332 aut et eam trans mitte forato ad viscera trunco
333 mirantem latebrasque cavas et operta viarum,
334 qualis et Heleis longe delata sub antris
335 miratur maris occultos Arethusa meatus
336 et caelum suspirat amicae et litora terrae,
337 quaeque Syracusiis spirant de fontibus aurae.
338 Neve excide illam ; sinito de matre propinqua
339 hauriat ut succos solitos, solita hubera latet,
340 donec eam grandem natu longeque valentem
341 atque novercales stringentem enixius ulnas
342 videris et proprio meditantem vivere succo ;
343 tunc abrumpe manu materna et stirpe revelle.
344 Crescet, et immensum ducet late aucta cacumen.
345 Interea, laeto surgit dum surculus auctu,
346 saepe riga, saepe eductas de stipite gemmas
347 evelle et duris invertite ligonibus arva,
348 et matri blandire, sua dum prole repulsa
349 cogitur indignans alienos pascere fetus.
350 Quin et surgentem sobolem defende sub umbra
351 frondentis rami, dum sol furit et furit aestas
352 victa siti ; idem ipse in glacie tege tecta superne
353 insternens crassa e stipula cannave palustri,
354 urat ne teneros rabies Aquilonia thyrsos.
355 Cum primis valida nitatur surculus hasta
356 a vento tutus longeque urgente procella,
357 et nunc scalpello tenui, nunc molliter ungui
358 detondens prima luxum compesce juventa.
359 Utendum parce ferro ; sed nec tamen ipsa
360 luxuries toleranda ; parens nam crimine in ipso
361 haud natos miseratur, at acri percitus ira
362 increpat et dictis et poena crimen acerbat.
363 Atque equidem (memini) tantum se industria prompsit,
364 qui diversa quidem parva sed semina in urna
365 condat, et educens collo brevioris stolones
366 subducatque arctetque manu ac sub vincula cogat
367 crescentes ; hi tandem uno se stipite miscent,
368 atque uno obducunt se cortice. Neve flagella
369 dilabi sinito ; neu summa cacumina ventus
370 divellat, cera linito, aut diducat adulta,
371 unguine dum proprio corpus junguntur in unum
372 atque operit lentum sub eodem codice glutem.
373 Postquam alta steterit radice infossa et opimum
374 raptarit stirpes succum, mirabere poma
375 plenaque grataque, non uno tamen una sapore.
376 Sunt qui diversos ramos, sed cortice raso,
377 conjungant stringantque simul, quo glutine misto
378 increscant aequae, ac fixo mox stipite junctos
379 infigant pariter, tum vulnus rite coronent,
380 et fallax opus admota tueantur ab alte,
381 quo ramo ex uno atque uno de palmite fructus
382 non uni veniant, sit honosque et gloria ruri,
383 gaudeat insolito natura adjuta favore.
384 Sed nec defuerint scisso qui codice adacto
385 dilatent vulnus cuneo, mox vulnere crudo

386 includant gemmas alienae stirpis alumnas ;
387 mox tenui obstringant vitta : non fit mora, longos
388 emittunt ramos et silva litus obumbrant,
389 exciso et veteri cono sua brachia fundunt,
390 ac dorso alterius (mirum) nova pullulat arbos.
391 Quin etiam alterius, nudato cortice, plantam
392 vidimus alterius frondente cacumine ramos
393 erigere, ingentem e tunica et subolescere silvam,
394 et stirpem infamem nemora in generosa novari.
395 Ergo castanea e molli, e praestante sagitta
396 laudatae genitricis adulto et germine virgam
397 exuito, exuvias gemmisque oculisque nitentes
398 seligito ; his sterili spoliatum cortice truncum
399 degenerem induito vincloque urgente ligato,
400 quo sese et pluvia et solis tueatur ab aestu ;
401 nec te blanda manus sinito frustretur inertem,
402 aut laudat tunica vitiosum arente flagellum.
403 Jam videas docili e planta pubescere prolem
404 frugiferam ; tunc carpe manu, tunc erue ferro
405 quod superat matre e sterili et blandire novellis :
406 Mira fides, nitidis palmes se tollet alumnis.
407 Scilicet ut Jove nata Fides, tellure relicta,
408 detestata hominum mores secessit Olympo,
409 illicet emersit Fraus, admonituque deorum
410 destitit assuetas tellus producere fruges
411 sponte sua, nullis hominum ante obnoxia curis ;
412 cui Labor impatiensque ocii languentis Egestas
413 auxilio occurrere et fato industria major.
414 Haec Indo advexit merces, pelagoque negatum
415 stravit iter, secuitque cavis liquida aequora velis ;
416 haec armenta boum domitans summisit aratro,
417 invertitque solum, cultis dominetur ut arvis,
418 praescripsitque ovibus, carpsitque e vellere lanam,
419 nudaque textilibus velavit corpora pannis,
420 construxitque domos, frigus quis arcet et aestus ;
421 quaeque olim sterilis fuit arbor et horrida cultu,
422 hanc ferro domuit vertitque ad munera frugum,
423 insitio ut plantas fecundet et imperet hortis,
424 degenerent ne poma, genusque in saecula propagent.
425 Non igitur tantum pratis armenta, nec herbae
426 imbribus, aut apium debent examina rori,
427 quantum de rebus merita est Industria nostris ;
428 cujus ope ingenium sese extulit et caput astris
429 admovit, maria ac terras sibi subdidit, ut nil
430 liquerit intentatum, ut summo e vertice Olympi
431 traxerit attonitas citrii ad spectacula Musas.
432 Quando autem est citrii duplex sapor, acer ab ipsa
433 natura ductus, dulcis ne ex arte magistra
434 venerit, in dubio est. Nam tempora longa frequensque
435 protulit insitio genus et decus, ars quoque multa
436 usus et experiens reperit simul, haec quoque ut ipsa
437 mala colore aurum, sed mella sapore referrent.
438 Nec vero non et veteres voluere coloni
439 Punica de fibris quondam crescentia amaris
440 in dulcem mutata saporem, lotia postquam
441 senserunt hominum ardenti concocta calore,

442 quae postquam diffusa manu multumque diuque
443 igne suo acremque attactu domuere saporem,
444 concoctum et virtus calido infregere liquore,
445 transiit in lenem sensum purgatus amaror.
446 Anne hoc ipso etiam mutata et citria baccho
447 silvestrem posuere animum et fregere rigorem ?
448 Quo non ars penetrat ? Palmes caedatur et ipse
449 crassior, in palmumque cavetur et undique labris
450 in gyrum ductis nec pollice crassius ; illuc
451 infer mella liquata et grandi contege saxo,
452 quod solem avertat. Postquam arida suxerit arbor
453 inclusum humorem et sitiens nova pocula gliscit,
454 mella cavo immersans flaventibus imbue rivis
455 rursus, et evacuum thymbraeo nectare cellam
456 distende, ac latices humano e corpore fusos
457 mollibus irrorata radicibus. Interea ne
458 negligere frondosas toto de stipite gemmas
459 vellere, mesopius ni qua liquor implet et ipsa
460 labra trahunt dulcem mulsi de fonte liquorem ;
461 illas tu gemmas illaque et germina conserva,
462 et blandire manu et ventorum averte procellas,
463 arce hiemes, funde Hyblaeos et largiter amnes.
464 Non derit tanto felix fortuna labori,
465 crescet et immensum sata melle cleartias arbor,
466 ornabitque hortos, ac tanto munere laeta
467 divinas natura hominum mirabitur artes,
468 quanquam adversa viris et fortibus invida coeptis.
469 Sunt qui lecta manu solerti et semina cura
470 contingunt mulsa, Siculo aut madefacta liquore ;
471 postquam autem traxere ipsum ad praecordia rorem
472 sedaruntque sitim medicato nectare, terrae
473 infodiunt et culta rigant ; ea denique fructu
474 jam referunt tenerum quem quondam hausere saporem,
475 quemque et arundineo duxere e palmitate succum.
476 Quando et inexpertum nihil ars sinit, hoc quoque et hortis
477 accedat, vel dictu etiam mirabile, de quo
478 quamvis longe audax, quamquam sibi conscius usus
479 addubitet : ramum fecunda e matre revulsum
480 decutiens capito ; caesum mox undique librum
481 aequatis ferro spatiis dextraque volentem
482 exuito ; inde pari confossum vulnere dorsum
483 stipitis alterius nudato, et veste recenti
484 induito, ut coeant extremis partibus orae,
485 vestis et e lento mollescant vulnera limbo ;
486 ulmea dehinc teneris indatur cingula plagis,
487 vinculaque ingentis committant vulneris ora,
488 vestiatur et frondes truncum toga, pellat ut imbres,
489 arceat ut soles et saevae uredinis iram.
490 Dii, facinus mirandum : haerenti e cortice cortex
491 ipse novus victum medius rapit, atque supernis
492 instillat ramis, quaeque in sua pabula traxit
493 exuriens alimenta suo ut de fonte refusa
494 ipse suis infundat alumnis, ipse et amicum
495 irroret lac, ut sensim in sua nomina vertat
496 ramosque frondesque et eodem semina foetu,
497 ante quater nidum in tignis quam figat irundo,

498 et quater extincti renovet quam funera nati ;
499 tantum ars ipsa valet, tantumque industria pollet.
500 Omnibus his usus suus est. Seu forte voluptas
501 quaeratur, seu certa salus studiumque medendi
502 praecipue pueris, semen lege, conjice lectum
503 in cyatho, et latices ad summum infunde liquentes,
504 sub Jove quos tacitae contingant frigora noctis ;
505 mane autem puero instilla : bibet acre venenum
506 lumbricis, stomacho (mirum) medicabitur aegro :
507 quin et arundineis mala ipsa liquoribus ante
508 arte quidem medicata coquunt, ac lenibus inde
509 intingunt succis et vase madentia servant
510 auxilium latura et opem languentibus aegris,
511 regalisque epulas vario affectura sapore.
512 Quid quod et in calidis fornacibus igne tepenti
513 saepe liquant lectos flores, et in horrea condunt
514 vitrea odoratos latices, suffimina nota ;
515 saepe et fictilibus in lancibus imbre recenti
516 dimensis spatiis, macerato cortice, melle
517 contingunt, Siculove premunt concocta liquore,
518 atque hos atque alios convertunt citria in usus.
519 Cetera te antiqui doceant exculpta Salerni
520 pectora, quis artes medicas monstravit Apollo,
521 quis rerum notae causae, quorum inclyta in agris
522 silva nitet fulgentque auro radiantia culta,
523 ac nemora Hesperiiis vinci indignantur ab hortis.
524 Hoc sat erit, nymphae Sebethides. O mihi siqua,
525 e vobis siqua, nymphae Sebethides, udam
526 Benaci de fonte ferat Permessida laurum,
527 qua manes spargam magni senis eque sepulcro
528 eliciam felicem umbram ac venerabile numen,
529 quo nemora Italiae senserunt Pana canentem
530 et mirata suos requierunt flumina cursus,
531 quo laetae in campis segetes, quo munera Bacchi
532 ditarunt colles, nec non caelestia dona
533 stiparunt liquidas divino nectare cellas.
534 Salve, o et gregibus decus et decus addite silvis,
535 quo ductante Italae fremuere in bella cohortes,
536 Martiaque horrifico sonuerunt cornua cantu,
537 audiit et Triviae longe lacus, audiit et Nar,
538 ac trepidae matres pressere ad pectora natos ;
539 salve iterum et nato felix et, Mantua, vate,
540 felix et populis, et tanto principe felix,
541 quo Gonsaga domus spoliis exsultat opimis
542 Gallorum, cum excussa metu tremit Itala tellus,
543 summittitque humiles Alpina ad gaesa secures.
544 Te duce discussere jugum, Francisce, superbum
545 Insubrium attonitae gentes, quique ora Timavi
546 amne lavunt populi, quos et rigat Adua dives
547 gurgitibus longe et cultis Mela inclytus arvis ;
548 per te a servitio caput eximit accola Parmae,
549 et quas saxosi vexat ripa aspera Rheni
550 sollicitas urbes, quas et de montibus actis
551 turbat Sensus aquis campo inferiore vagatus ;
552 et tibi nimbiferum inclinat caput Appenninus
553 communi pro libertate et fortibus ausis,

554 teque et arundineo incinctus veneratur amictu
555 Eridanus, late irriguis plaudentibus undis,
556 pro decore Italiae et Belgis belli arte repressis.
557 Macte animo, Francisce, et macte ingentibus orsis,
558 assurgit cui felici Campania tractu,
559 assurgit latis venerata et Daunia campis,
560 quaeque nitet pigro tellus madefacta Galeso,
561 quodque mare Italiam supra quodque alluit infra.
562 Ecce autem insignis cantu atque insignior armis
563 bellorum et laude et multis spectata triumphis
564 Parthenope tibi laeta canit, quod, te auspice, regno
565 reddita sit, quodque e solio venerabilis aureo
566 imperitet populis sullato et marte triumphet.
567 Non tamen Hesperidumque hortos, Berenicia rura,
568 idcirco aut Libycos tu dedignabere saltus,
569 quos olim excisorque hydrae domitorque leonis
570 Alcides adiit, quibus et splendescere jussit
571 Phormiadumque et agros et litora juncta Vesevo,
572 quos et Sirenes scopulos, quae saxa frequentant,
573 aequanique serunt colles Meteiaque arva,
574 quosque secat Sileris frondoso margine campos,
575 Aenarie quos nostra colit, colit aspera et Ansur,
576 atque Suessa, vago Liris quam temperat alveo.
577 Nec mihi Naiades in tanti parte laboris
578 abnuerint viridem salicis de fronde coronam,
579 nec mihi culta suos neget Antiniana recessus,
580 quis superat vites Hermi atque rosaria Paesti
581 quaeque et Idumaeas mittunt palmaria baccas.